DE MANU DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ... AUSPICE DOTT...

Carlo Foppoli, Francesco Flarer

DE MANU

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI RECTORIS CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FRANCISCO FLARER

Therapiae et Clinices Oculariae P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Aprilis 1845

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

CAROLUS FOPPOLI

Ex Ponte in Valle Tellina

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

406

MATRI OPTIMAE DILECTISSIMAE

PRO SINGULARI QUO NATOS IPSA SEMPER PROSEQUUTA EST STUDIO, CEU GRATI ANIMI ET PII AMORIS MONUMENTUM, PAGELLAS HASCE SACRAS ESSE VULT

Filius Carolus.

. . . . omnia
Consilio aeterno et certa ratione reguntur.

Dum homo inermis nascitur, ita ut illi potius noverca quam mater esset Natura, voluit ei tamen tantam tribuere dignitatem, ut ipse inermis belluarum omnium fiat terror, et cunctas naturae divitias in propriam vertat utilitatem. Homo ens multiplex, ex anima immateriali atque corpore materiali constitutus, magnam relationem tenet cum Deo nec non mundo externo in quo versatur; proprias vires ipse perpendit ut suis missionibus fungatur et proinde gloria aeterna ac felicitas corporis socialis ejusdem praemia sunt. Animae facultatibus evolutis, ut suis necessitatibus satisfaciat, pedetentim ad eum perfectionis gradum pervenerunt ut excogitatae et perfectae sint res utilissimae atque mirificae. Ratio omnia oculo

investigatori subjicit; et inter tot modos quibus corpora sunt unum potissimum animadvertit, sine quo illa haud essent; videlicet extensio. Fines ejusdem quoad formam et amplitutidem diversi, diligentissime perscrutantur, atque de iis evidentia triumphum agens, novis inventis ditissima fit. Duce illa, tam corpus quam anima pares reperiuntur ad omnia, et re quidem vera quodnam non audet homo? quodnam non obtinet? Geometria sydera usque petere potuit, astruum effingere cursum, eorumque distantiam statuere. Actuosa Mecchanica in potestatem subjiciendo obscuram motus rationem, anima ac vita materiae, eamque ad leges redigendo omnia agere conatur omnia imitare studet. Haec momenta enumerat, spatia describit, vires determinat procreatrices, atque renixui magno corporum ponderosiorum, majorem leviorum celeritatem opponit, viresque tali pacto exaequatae in aequipundio placide morantur; opitulantibus vectis, cuneis, humano generi duri ac molesti labores leniuntur; atque tenues nostri corporis vires pares reddit ad magnas trabes sublevandas, et saxeas moles trabendas. Quum ita sint res, nil mirandum erit si aliqua nunc de structure atque usubus illius organi a sensubus externis et

conscientiae animadversionibus ducti ad haec mirifica peragenda potissimum contribuentia, videlicet Manus, dicere in mente mea sedeat. Sed forsan aliquis modo stupescit quomodo in tanta mearum rerum inopia audeo argumentum perdifficile ac summi momenti ingredi; quod meae vires impares sint ad hocce munus perficiendum, jam satis superque sentio; nihilo minus quum aliquid in medium proferre debeam ad Medicinae Lauream rite capessendam, statui de manu disserere; meae autem insufficientiae benevoli lectoris indulgentia suppleat.

4.10

Ut aliquo ordine vero incedam oportet antea pauca dicere de Manus structura; et quamquam formam ita notam habeat ut inutilis sit eam describere, tamen nonnulla breviter addam. Haec oblungata est a parte superiore, inferiorem versus; complanata atque leniter arcuata se praebet ad dorsum; superius angustior, in parte media latior, inferius quinque appendices efformat, quae *digiti* adpellantur. Tres regiones in ipsa distinguuntur quae flexiles sunt una in alteram; videlicet *Carpus* qui partem superiorem constituit, et cujus ope manus antibrachio jungitur, atque articulationem componit; *metacarpus* qui carpo subsequitur et partem latiorem ejusdem format; tandem *digiti* quibus finem habet.

• 12

Pars posterior vel supra-palmaris dicta etiam *dorsum* manus convexa est; sub cute qua tegitur nonnullae venae conspiciuntur nec non tendines aliqui digitis annectantes protuberant.

Pars anterior vel *palmaris* e contra concava se praebet, atque in medio ejusdem fovea jacet, quae manus *palma* dicitur. In ipsa animadvertuntur aliquae scissurae diversam directionem habentes, quae uti evidenter patet, respondent motubus peractis a diversis ossibus eam constituentibus; eminentiae porro occurrunt in parte media quaeque falangium digitos efformantium; superiora versus atque ad latera palmae duae eminentiae adparent, quarum una pollicis origini respondet, nuncupata *eminentia tenar*, altera latere opposito sita, dicitur *eminentia ipotenar*.

Plures partes ac nonnulli textus Manum constituunt:

viginti septem *ossa* ejusdem schelletrum efformant;

cartilagines diversae eorum superficiem obducunt, et quarum ope ossa insimul junguntur;

haud parva *ligamentorum* copia invenitur, quae insimul ossa connectunt;

aliquae *membranae synoviales* internam su-

Google

ticulorum superficiem operiunt ut motus faciliores evadant;

undeviginti *musculi* in hasce corporis parte reperiuntur; quibus opitulantibus, motus necessarii peraguntur;

plures *tendines* ex musculis antibrachii provenientes diversis manus ossibus annectuntur, non solum carpi, verum etiam metacarpii et digitorum;

Textubus hanc corporis regionem componentibus haud levis *vasorum sanguiferorum*, *lymphaticorum* ac *nervorum* copia distribuuntur et caeteris paribus valde majori in quantitate ex eo quod haec organon tactus constituit non tantum, verum quoque instrumentum carpendi;

in regione palmare *aponeurosis* reperitur quae omnes hasce partes obducit atque comprehendit:

externe a *cute* tegitur, ac sub ipsa *textus cellularis* nonnullis in locis adiposus invenitur, id quod valde praestat usubus quibus inservire hocce organon debet;

appendices tandem in parte dorsali teguntur ad apicem a quadam substantia coriacea, quae *unguis* adpellatur, et magni momenti

est pro corporum tenuiorum praehensione et quasi fulcrum suppeditare papillis nervosis.

Perpendamus nunc si constructio hujusce organi opportune optimeque respondeat officiis quibus absolvere debet; examen modo peculiare suorum partium atque motuum satis ostendebit. Et in primis inquiramus cur Natura providentissima manum voluit in tot appendices sejungere, sive digitos, neque eam unicam ac indivisam efformare. Egregie procul dubio egit manum ad extremitatem in tot appendices dividendo, nam tali ratione organon apprehensionis ita bene compositum, ut omnes figuras omnesque corporum magnitudines, quam movere homo queit, probe dignoscere valeat; nam si manus indivisa fuisset, corporis admoti solummodo magnitudinem sibi aequalem contactura esset; dum e contra in digitos divisa corpora in se ipsa multo majora comprehendere et minimas res exacte dignoscere potest. Si moles enim corporum apprehendorum major est quam latitudo manus, tunc digitis distentibus ea capit, quod obtineri nequiret si manus indivisa esset. Corpora porro quae minima sunt comprehendere conatur digitis duo-

bus, eisque summis, aliter enim effugerent ac elaberentur; hoc sana pacto manus perfecte constituta fuit ut comprehendi queat corpora tam majora tum minora ejusdem. Propter porro hanc divisionem commodissima evadit ut multiformas figuras amplecti possit; quandoquidem enim circa corpus sphaericum in orbem plicare queit, ac id undique, circulo comprehendere; rectum item ac cavum tuto complectitur. Dein quum corpora non pauca mole majori sint ac latitudinis manus unius, adjutricem alterae altara natura fecit, ut tali pacto ambo ex oppositis partibus ea corpora excipiant; hac igitur ratione et ad se invicem inclinatae sunt, et omnino aequales quoad formam; siquidem hoc valde conveniebat organis quae eadem ratione agere debebant. Si nos expendimus nunc corpora quae homo manibus tractare valet, sive sint magna, sive minima, uti lignum, lapidem, milium, pertenuem spinam, aut pilum, tam beoe reperimus hominem haec omnia contractare, ut dicere debeamus tantummodo pro singulo horum corporum has factas fuisse. nam si illa minima sunt, summitate duorum digitorum, indice nempe et pollice, suscipit; quae paulo majora sunt, iisdem quidem digitis, sed non extre-

mitatibus; quae vero adhuc aliquantum majora reperiuntur, tribus digitis pollice, indice et medio; si iterum volumine praestant quatuor; dein quinque; ubi autem digiti impares sint, haec tota amplectitur manu; ambabus tandem quoties corpora magnum volumen praebeant; quod sane minime fieri posset nisi manus in digitos multiformiter divisa fuisset.

Neque satis erat quod illam tantum divisa esset, si nullus ex digitis aliis quatuor opponeretur, sed solummodo omnes quinque in unam lineam rectam essent dispositi, tunc illorum multitudo inutilis omnino evaderet; nam ut corpus aliqued toto apprehendatur, ex locis duobus oppositis comprehendi oportet, id quod certe minime eveniret si omnes uno ordine disponerentur; consulto igitur natura egit manum tali ratione construendo ut pollex aliis quatuor digitis opponatur.

Inquirendum nunc superest an simpliciter oportebat duos digitos oppositos ponere, qui in parvarum rerum prehensione suis summitatibus agerent, sed potius tales essent quales nunc sunt, utpote sic molles, sic rotundos ita unguibus munitos? Providentissimum pro-

cui dubio fuit naturae consilium, quinque digitos constituere et tali modo dispositos ut pollex aliis apponatur, hoc enim ratione manus faciliori negotio corporibus adplicari potest, ea apprehendere atque qualitates nec non characteres dignosci; porro si eorum extremitates carnosae non essent sed osseae; nequirent undique corpora parva, qualia sunt spinae, pili, etc. continere et compescere; ita quamvis carnosae sed molliori textu praeditae suis muneribus haud melius fungi possent. Ut corpus enim bene apprehendatur necesse est exacte illud circumplicari quere nil melioris erat, quam digitorum extremitates carnosas, molles atque unguibus munitas conponere.

Sed non solum prehensioni, verum quoque alio muneri, et quidem magni momenti digitorum extremitates fungi debebant, videlicet tactui; propterea natura illas carnosas efficit ut ingens surculorum nervosorum atque vasorum sanguiferorum copia has ingredi queat, quibus omnibus opitulantibus, praedictae extremitates magna sensibilitate pollent. Haec sensibilitas peculiari nomine insignitur atque Tactus nuncupatur; quanta sit hujusce sensus dignitas atque praestantia omnibus satis superque innotescit, per hunc enim nos corporum quali-

tates physicas detegimus, videlicet durities, elasticitas, fluctuatio, mollities, caloris gradus etc.; sed organon visus valde auxiliarium constituit quoque, ita ut aliquando sine tactu, visus in errorem facile laberetur; et tanta aliquando est hujusce sensus acuties, ut homines facultate videndi destituti tam post nativitatem, quam antea, non solum corpora dignoscant et componant, verum etiam per tactum colores quoque diversos discriminent, uti exempla plura habemus in historiis.

Neque hic silentio praetermittam Unguium usum, nam valde praestant; et re quidem vera corpora quae apprehenduntur non semper eamdem consistentiam praeseferunt, quaedam enim eorum magis, et quaedam minus mollia sunt atque dura; ideo natura digitis constructionem dedit idoneam ad omnia corpora suscipienda. Propter hoc igitur eorum summitates neque tantummodo ex unguibus, neque ex carne sola, sed ex utrisque optimam positionem acceperunt; in partibus ad se invicem inclinatis istae appendices carneae sunt, quarum summitatibus res ipsas venari debebant: unguis vero extrinsecus, qua firmamentum eis consulto appositus fuit. Digiti enim eorum solis partibus carneis corpora mollia

comprehendunt, dum e contra illa quae majorem consistentiam habent, vel dura sunt, sine unguium auxilio apprehendere isti haud valent. Neque ungues per se sufficerent ad corpora dura suscipienda, duri enim cum sint a duris substantiis prompte laberentur: propterea igitur carnea materia in digitorum summitatibus unguium lapsum ac lubricitatem corrigit; dum ex adverso ungues vicissim facilem carnis eversionem firmant; atque digitum talimodo constituunt, ut organon apprehensorium omnium parvorum simul et duriorum corporum factus sit.

Si autem ungues immodice longi sunt ac in se mutuo concidunt, tunc aliter se habent res, ita ut neque parvam spinam, neque pilum, neque aliud hujusmodi corpus tenue apprehendere valeant. Ubi vero propter eorum brevitatem ad digitorum summitates non perveveniunt partem carneam necessaria firmitate privantes, eamque ad suscipiendum invalidam reddunt; quotiescumque autem digitorum summitatibus aequantur, perfectissime muneribus suis, cujus gratia facti sunt, explent; ob id optime Divus Senex monebat quod ungues neque superiores, neque inferiores digitorum summitatibus esse debent. Ungues porro alias plu-

res utilitates praestant, et plura ab eis perficiuntur, uti quoties oporteat aliquid radere, scalpere, excoriare aut divellere.

Ut per quantum possibile est nostrum munus expendamus, pauca adhuc quoad unguium structuram dicenda remanent; et in primis videamus cur adeo duri facti sint et non magis, quare ex omni parte rotundi adpareant. Si igitur duriores quam sunt, et ossium instar facti essent, ad apprehensionem procul dubio minus idonei redderentur, ut qui ne minimum quidem flecti possent, rumperentur facillime sicuti et caetera corpora dura: eorum igitur securitati providens natura, duros mediocriter fecit, ut neque utilitati, cujus gratia dati sunt, aliquid noceatur, neque ipsi facile patiantur; nam quum ossibus molliores sint, efficit ut violentis externis moderate cedendo eorum vim imminuant; hoc quoque observatur da omnibus partibus animali oeconomiae prominentibus et nudis, quae ex tali substantia creavit natura, ita ut neque facile quassari propter duritiem possent; uti essent ungula tam solida quam bifida, calcar, cornua etc. Quod si sermo est de illis quibus ungues utpote arma defensoria data fuerunt, procul dubio duriora requirebantur, quibus magis quassare et

incidere possent; pro eorum vero securitate magis tuenda, non adeo duriora esse debebant, tunc enim facile rumperentur.

Rotundam tandem formam iis tribuit natura, ut nullum angulum exponendo non adeo facile frangi possint: porro sicuti externe agere debebant acalpendo et non dilaniando, ita necesse erat ut formam rotundam referrent, hac etiam de causa voluit quod haece partes semper augerentur, quamvis totum corpus haud amplius increscat; adaugentur autem non ut aliae partes in longum, latum et profundum, sed pilorum ad instar in longum tantummodo: neque hoc frustra instituit natura, nam sicuti assidue exteruntur in ipsorum extremitate, efficit ut eorum reproductio continuo perficiatur.

Digitorum motus nunc perpendendi veniunt, et potissimum lateralis qui magnas sane praestat utilitates.

Motu digitorum ad latera eguimus ut eos plurimum a se invicem diducamus, nam quum Factor magnum digitum opposuerit aliis, novit pollicem nil praestare, nisi digitis motum lateralem tribuendo, etenim in actionibus iis quibus maximam corporia molem tractare cona-

mur, plurimum digitos a se invicem distare oportet, tunc enim quatuor digiti foras, pollex autem intra circumferre necesse est. Hac de causa pollex pluribus musculis instruitur, quibus opitulantibus variis pollet motubus, videlicet extensionis, flectionis, ad latera nec non rotationis. Musculi porro motubus pollicis inservientes validiores sunt, et hoc optimum fuit naturae consilium, nam quum aliis digitis opponatur, necesse erat quod majori robore polleret, ut solus aliis quatuor obsistere posset. Per *extensorem brevem* et *magnum* pollex extenditur; per *abductorem magnum* pariter in extensionem ponitur, verum quoque ab aliis digitis abducitur; dum e contra *abductor parvus* pollicem tantummodo subducit; motum oppositum perficit *adductor*; *opponens* autem peculiari modo agit, ita ut interius ducatur atque in regioni palmari aliis digitis supponatur; *flexor parvus* digitum magnum flectit nonnihil interne. Nunc oporteret ut de aliis quoque musculis digitorum famulantibus addam; sed sufficit mihi sermonem habuisse de musculis pollicem moventibus, utpote qui magnam habent actionem, et libenter caetera silentio praetermitto quia nimis in longum hoc ducerent opus, neque valde convenire hic mihi videtur.

Omnes digiti manus ex tribus ossibus conflantur, quaeque nomine *phalangis* insigniuntur, prima phalanx ad apicem sita est, secunda in medio, tertia cum metacarpo jungitur. Istae autem phalanges per articulos insimul connectuntur, ita ut veluti januarum cardines unusquisque articulorum, eminentiam habet cavitati immissam quaeque optime inter se aptantur. Si vero justo amplior esset cavitas, laxus procul dubio ac debilis evaderet articulus; si strictior motus difficulter fieret atque non parvum periculum inhaereret, ossium eminentias arctatas frangi atque teri; sed quum ex tam accura constructione aliud periculum insurgeret, ne motus difficilius fierent, et ossium eminentiae tererentur, duplex rursus auxilium providentissima natura molita est, primum cartilagine utrumque os subungens atque oblinens; dein profundens ipsis cartilaginibus humorem unctuosum et viscosum olei ad iostar quod peculiari nomine *synovia* adpellatur, atque continuo effunditur a membrana articulorum interna, synoviali ac de causa dicta; cujus ope valde motus faciliores redduntur, neque propter partium attritum caput articulare patitur.

Porro ut articulorum luxationem prohiberet

natura, haud tantummodo huic artificio horum custodiam commisit, praevidens multis motubus violentis hominem saepe obnoxium esse. Ut igitur undique omnis articulus diligenter custodiretur, ligamenta quaedam et utroque osse produxit, ex uno ad alterum provenientia. Eorum nonnulla sunt teretia et crassia, alia vero membranarum ad instar oblonga et subtilia, atque talia facta sunt juxta articulorum necessitatem eorumque pro varia utilitate; crassissima enim praecipuos et maximos custodiunt articulos, reliqua vero minus praecipuos et minores defendunt. Et quamquam articulationes parvae sint, tamen diligenter constructae, subtilibus labiis ondique coronatae ac circumscriptae, cartilaginibus tenuibus superlitae, ligamentis denique membranosis connexae sunt; quare evidentissime patet maximam esse industriam in digitorum constructione.

Superest nunc ut breviter quoque dicam de digitorum numero, deque inaequalitate eorum, quae omnia, uti videbimus, non leves praestant utilitates.

Quum enim manus plerisque usubus inservire debeat, ita oportebat ut pluribus quoque

digitis instrueretur, nam aliter multae actiones imperfectius fierent, dum ita nulla in se indigemus. Magno amisso, omnes alii impares fere ex integro evadunt ad propria muoera peragenda; reliquorum autem index ac medius, qui ordioe post pollicem secundi sunt, ita quoque et utilitate aliis praestant, omnium nam corporum parvorum apprehensio, et omnia prope artium opera, ac si quid magni momenti agere oportet, iis omnia egere videntur. Ille vero qui medio succedit, nec non parvus, minorem habent utilitatem, sed eorum commodum manifestum apparet in iis operibus quibus circulo comprehendi oportet corpora; si enim humida lubrica et parva fuerint, digitos circa illa undique flecti oportet ut comprimantur, qua in re pollex utilissimus quidem, et veluti operculum quoddam aliorum factus est. Frustra autem natura nil operatur quippe quae sollicita et aequa est ut nec aliquid deficiat oeo aliquid superfluum ereet; nam defectus in constructione opus manuum et imperfectum ostendit; superfluum autem iis, quae per se satis agunt est impedimenti, tamquam onus alienum atque noxium.

Cur autem omnes digiti inaequales facti sunt, et medius loogissimus? Non ne ipsorum sum-

mitatos ad aequalitatem venire melius erat, quum aliquas moles magnas in circuitum comprehendunt, et quum in se ipsis humidum vel parvum corpus retinere conantur? Non ne ad majores moles continendas vel fortiter emittendas aequalis undique comprehensio multum conducit? In una circumferentia (circuli ad instar) apparent vero digiti quinque convenire in iis actionibus quibus homines rite corpus sphaericum apprehendunt, id quod minime evenire posset si inaequales haud essent, uti evidenter observatur quoties digitorum summitates undique et aequaliter opponuntur; propter dein haoc inaequalitatem, tum apprehensio tutior et firmior fit, tum projectio fortior perficitur. Quoque ad manus claudendas vel quando angustum corpus vel humectatum exacte volumus continere, tunc digitorum inaequalitas utilitatem praestat manifestissimam; hocce enim in casu, uti jam alibi dixi, magnum digitum indici supervenientem operculi ad instar agit. Si enim in hujusmodi actionibus inferior digitus parvus, longior factus esset, aut aliquis mediorum brevior, aut magnus eis oppositus aliam positionem vel magnitudinem haberet, tunc nocumentum haud leve sequeretur in actionibus, uti evidenter

elucet, si pro morbo aliquis eorum alterationes patitur; magna enim tunc corpora et parva, siquidem humida continere volumus, non recte tractabimus; ex hisce ideo comprobatur quantum exquisita sit praesens digitorum constructio.

Usque dum sermonem habuimus de manus structura, deque ejus usubus quoad motus; superest nunc ut nostrum munus expendamus aliqua etiam dicere de illo sensu qui in extremitatibus potissimum digitorum insidet, videlicet de *Tactu*. — Dum uti unicuique abunde patet, alii nostri corporis sensus plus minusve intra statutos limites cohercentur, tactus e contra omni superficie externa corporis diffunditur, ex eo quod papillae nerveae ubique in cutim extenduntur, quae corporum tangentium impressiones accipiunt, atque sensatio plus minusve clara percipitur prouti contactus magis aut minus immediatus est, pro diversa etiam crassitie epidermidis superimpositae, pronti homo majori vel minori sensibilitate praeditur, atque etiam pro diversa copia nervorum. In foeminis tactus exquisitior est quam in maribus, ita quoque in hominibus delicatulis non

428

adeo laboriosis, quam in laboribus exhaustis et validissimis. Spectata autem nervorum copia, pars quae consulto atque mirifico modo constructa fuit pro hujusce sensu est Manus, ubi praeter majorem copiam et crassitudinem papillarum nervosarum, ad apices potissimum digitorum, alia conditio magni momenti adsociator quoque, videlicet in hacce tam textus mucosus quam epidermis auxilieres sunt.

Propter has rationes tactus sensibilissimus esse deberet in pueris in quibus procul dubio cutis tenera atque tenui epidermide tecta advertitur, nisi pro sensuum habilitate, et potissimum hujus, quoddam exercitium absolute necessarium esset. Tactus perfectionem majorem ac caeteri sensus attingere potest, quin imo aliorum errores corrigere valet, eorumque deficentiam compensare. Id quod sensum hunc erroribus minus obnoxium reddit, ex eo pendet, quia ejusdem communicatio cum objectis externis intima est, dum visus, auditus atque olfactus aeris intermedio indigent, atque gustus salivae vehiculo eget.

Tactus in aetate juvenili majori pollet activitate, atque senectute superveniente pedetentim imminuitur, ut aliquando omnino extinguatur, et hoc evenit, ex una parte quia cutis

crassior fit, atque densiore obducitur epidermide, ex alia quia usus imminuit singillatim vim et actionem omnium sensationum; et nisi stimulis novis ac validioribus excitatae essent, ipsae citius quam solent silerent, sicuti tandem cessant quum haud amplius habentur stimuli pares ad eas suscitandas. Sensus tactus plerumque in morbis convulsivis et inflammatoriis intenditur, potissimum si charactere rheumatico aut arthritico stipantur; dum e contra in adfectionibus soporosis, in paralysibus, et cachexiis nonnullis imminuitur; alias e contra quin excessum vel defectum peccet, hic sensus tali modo pervertitur, ut aegrotantes haud amplius corporum proprietates rite agnoscant, uti figura, volumen, pondus, inaequalitates, diversi gradus duritiei, atque status majoris vel minoris fluiditatis, motus, calor et frigus. Istae duae postremae facilius in errorem ducuntur quam caeterae, etiam sub statu valetudinis secundae.

Hisce paucis huic dissertationi finem pono, tum quia temporis brevitas impellit, tum quia meas vires infirmas persentiunt dictum Catonis,

Quod potes id tentes: operis ne pondere pressus
Succumbat labor, et frustra tentata relinquas.

FINIS.

420

THESES DEFENDENDAE.

1. *Copia ciborum sumenda, respirationum numero, aeris temperiei, atque quantitati caloris amissi subdita est.*

2. *Chaemia haud parum contulit ad crimina imminuenda.*

3. *Inter tot gymnasticae exercitationes caeteris remigatio antecellit.*

4. *Sua cuique regioni est medicina indigena.*

5. *Syphilidem morbum Pellagra mitiorem.*

6. *Plura medicamina mutuo substitui queunt.*

7. *Facilius est mille morbos antivenire quam unum sanare.*

99 C 2220

17